

~~10.~~
I. N. D. 7.
DISSERTATIO
DE

ARTIS POETICÆ
EXISTENTIA, NOMEN-
CLATURA, GENERE ET MA-
TERIA:

Quam

IN REGIA ACADEMIA ABOENSI,

Ex suffragio Amplissimi Collegii Philosophici,

P R Æ S I D E

VIRO Perquam Reverendo atq; Praclarissimo,

M. PETRO LAURBECCHIO,

Poësis Professore Ordinario, & Alumnorum
Regionum h. t. inspectore,

Discutiendam publicè exhibet

MAGNUS J. FIORINUS, Wex: Smo
S. R. M. Stipendiarius,

In Auditorio Maximo, ad diem 28. Februarij
ANNO Christiano MD. CXC. LXXX.

A B O Æ,

Excusa à JOHANNE WALD Acad. Typogr.

10/76

MAGNIFICO DOMINO RECTORI,
Admodum Reverendis, Consultissimo, Experientissimo, Amplissimis Nobiliss: ac præclarissimis Dominis, Regiæ Academiæ, quæ ad Auram Fennorum est, PROFESSORIBUS longè Celeberrimis; Mecænatibus, Præceptoribus ac Patronis maximis, omni animi subjectione jugiter suspiciendis:

Nec Non

VIRIS Prudentissimis ac Spectatissimis,

DN. JOACHIMO Wargentin / inclitæ civitatis Aboënsis Mercatori primario, fautori multum honorando.

DN. BARTHOLDO CALOANDRO, in dictâ civitate Tabellariorum Magistro accuratissimo, Nutritio meo propensissimo.

DN. GABRIELI Walentinson / vectigalium ibidem majorum præfecto dexterrimo, Evergetæ & Benefactori maximè colendo.

DN. BARTHOLDO Sundersteen / in civitate Helsingforsensi Telonario attentissimo, Fautori observando.

DN. NICOLAO Berg / civi Holmensis perindustrio, Benefactori certissimo.

Istis, ut

Patronis Summis;

his ut

Evergetis Optimis;

Disputationem hanc pœticam meâ qualicumque operâ respondendo defensam, dicatam sacramque esse volui

MAGNUS FIORINUS, Resp.



EPITOMES POETICÆ

LIBER PRIMUS,

De

POESI ET POEMATE.

CAPUT I.

DE POETICES NATURA.

S. I. POETICA est Ars, Rerum Imitationes Oratione effingendi, ad percellendum.

Poeticæ definitio.

Ἐκθεσις.



Pse hanc artem naturâ parabilem, Aristoteles Poët. c. 4. his docet rationibus. *Primo*, quia *Imitatio*, quæ postea oratione quidvis effingens *Poësin* genuit, hominibus congenita, & ab incunabulis ipsâq; pueritiâ insita est, ut solis hominibus inter cætera animantia conveniat, dicente Averröe hic in Comment. quo fit, ut nihil sit homine propensus ad imitandum; καὶ τὸ ἐν ἀνθρώποις διαφέρει τῶν ἄλλων ζώων, ὅτι μιμητικώτατον ἐστ. i. e. hoc differunt à cæteris animantibus homines, quòd ad imitandum sint aptissimi, inquit Arist. ibidem. Neque id obscurum. Nihil n. est, quod libentiùs pueri faciant, quàm ut ex cerâ, luto, aliâve quâcumque materiâ quid exprimant, ejusque effictam assimilationé inveniant, imò in pulvere, parjetibus, tabellis aliquid fingant. Videtis B. Fornelium

Ars eadem naturâ parabilis.

Poët. lib. I. c. 6. *Secundò*, sicut à naturâ est sciendi desiderium, non solùm sapientibus, sed & mortalibus cæteris; pariter quoque *primas disciplinas imitatione* acquirunt, & imitationibus naturaliter delectantur omnes, nihilq; celerius discunt, quàm quod imitando cognoscunt. Propterea n. oblectantur imagines & simulacra inspiciendo, quòd accidat contemplantibus discere, &, quid unumquodq; sit, ratiocinari: quippe esse simulacra instrumentum iuvans intellectionem rei, unde fit anima secundù eorù oblectatione perfectioris receptionis, è communi hominum sensu hîc etiam Averrões docet. Sapienti itaq; instituto, cùm veterum, tum modernorum, pueri pictis imaginibus & fabulis erudiuntur, quòd facilitatis eæ plurimum habeant; quin olim à Mathematicis doctrinæ rudimenta inchoabantur, ut quorum disciplinæ quàm maximè imitatione discantur. Homines etiam naturaliter lætari assimilatione, eaque gaudere ad festinandam intellectionem, illud quoque argumento est, quòd exactissimæ imagines, etiam eorum, quorum sensu contristamur, delectant, quia per oblectamenta assimilationis intellectionem præbent; sicut arist. hîc exemplis probat. Adisis etiam Plutarchum, in de audiend. Pöet. Præcept. 2.

Præceptis
planè ins
diget;

2. Hinc itaque in controversiam adducitur, *utra magis Poëtica conferat, Natura an Ars?* Et quamquam Cicero, pro Archiâ, *Naturam* aliquatenus *Doctrinæ* præponit, non modò in Pöetis, sed & excellentibus viris alijs; quòd idem Iocrates, Orat. contra Sophistas, de Politicis asserit: Horatius tamen in Arte ad Pisones, vers. 408. seqq. *Naturam* sine *Arte*, & vicissim, h. e. alteram sine alterâ inutilem & mancam esse tradit; utcunque multi affirmant, posse solo ingenio quenquam Poëtam evadere, alij nihil ingenio, omnia institutioni atque arti tribuunt. Duas enim illas causas, non esse separandas, sed conjungendas, idque à studijs similibus artium aliarum, & reprehensione contrariorum, ostendit ibidem. In illâ proinde quæstione, *utrum nascatur, an fiat Poëta?* Quanquam *Poëtica Naturam* sive *ingenium* maxi-

maximè desiderat, ut nè quid tamen ad perfectionem desit, *Artem* quoque & præterea *Exercitationem Imitationemque* deposcit, ut altera ab alterâ separari ac divelli non possit. Illa n. duo conjuncta demum bonum Poëtam absolvunt; *παραφράζει* Lubinus in loc. alleg. Sic Principem equidem *Naturam* haberi vult Plato, in Ione inquiring, *Θεία δὲ δύναμις, ἢ σε κινεῖ, ὡς περ ἐν τῇ λίθῳ, ἢ ἐν εὐριπίδῃ μὲν μὴ γνῆτιν ἀνόμασεν. οἱ δὲ πολλοὶ Ἡράκλειαν*, hoc est, *divina vis est, qua se movet, ut in lapide, quem Euripides Magnætem nominavit, multi verò Herculeum*. Neque dissentit Horatius Od. 3. l. 4. Etiam Cicero passim, *Concitatorem & Inflammationem animorum, Spiritum Divinum, Instinctum celestem, &c.* in Poëtis laudat. Giessenses, *Raptum Poëticum*, Pœt. Lib. 2. c. 2. Lipsius, *partem divinæ auri*; Barlaeus, & Serranus in Ionem, cum Philippo Melanth. *Impetum Poëticum*, ex Ovidio; Scaliger, ex Cicerone & Ovidio, *spiritum, &c. vocant*. Verùm licet hanc definiens Cicero Orat. alleg. *Cum ad naturam eximiam, ait, atque illustrem, accesserit ratio quedam conformatioque doctrina, tum illud nescio quid præclarum, ac singulare solere existere. Artem si fideliter sequamur, tanquam certissima dux, viam demonstrat inoffensam. Et quanquam non pauca, nullis præceptionibus parta, à Naturâ inferuntur, eadem nihilominus naturæ dona ab Arte magistrâ perficiuntur. Unde Horatius l. 4. od. 4. Doctrina sed vim promovet insitam. Videtis Hubmejer. Quæst. Philos. Dec. 1. disp. 1. q. 21.*

3: Democritus tamen Philosophus, *Naturam* requiri in Poëtâ, ingeniumque non *Artem*, ita ajebat; ut posse præstantes esse Poëtas negaret, qui *sani ingenio sunt & mentis composites*, nec divino alicujus furoris instinctu aguntur. Cujus affectæ *Democriticos* se esse fingentes, ut boni Poëtæ viderentur, omnem *artem* etiam in nitore corporis spernebant, nec unguis aut barbam præsecantes, secreta petentes loca,

Nec furoris
instinctu
facilitatur;

balnea vitantes; ut insani & furiosi ab omnibus habiti, nomen pretiumque seu dignitatem Poëtæ nanciscerentur. Olim enim præter Philosophos nulli barbam alebant. Hoc illis datum *severitati*, in alijs argumentum *insaniae* fuit. Videtis Agell. Noct. Att. l. 9. c. 2. Quos proinde, cum Democrito illorum antesignano, irridet Horatius, in Arte vers. 295 seqq. quòd multo helleboro vel trium Anticyrarum opus habeant & suo ipsius exemplo, & vero Poëtarum designato cornucopia, sc. sapientia omnis penetrabilibus, contrarium probans. Non n. illi audiendi sunt, qui Poëtæ nescio quo furore, insaniam & entusiasmo, corripunt, & ita sine ullâ industriâ & labore perfectum carmen scribere. Quâ profectò stultitiâ & verâ insaniam nonnullos hâc tempestate laborare, ibidem Lubinus ait.

Dubiæ de
Furore
naturali
explican-
tur sol.
vulturq;
Obj.
Resp.
Obj.

4. Nec est (α) *Explicabile*, an & cujusmodi sit, quod sic appellant; nisi *εὐφύϊαν* Poëta, quâ *Inventionis facilitatem*, quâ *impetum dicendi Poëticum*, *καταχρηστικῶς* cum Barlæo, Meth. Studior. Ducib. Megapolensib. præscriptâ Calend. Febr. A. Ch. 1639, *Furore* vocabulo intelligant, quod quàm remotâ translatione fiat, quis vel clausis oculis videt. Neque (β) Aristoteles Poët. c. 17. *Ποιητικὴν* *furore* seu *μῆνιν* definit, inquiens, *δὲ ὁ εὐφύϊς ἢ ποιητικὴ ἐστίν, ἢ μῆνις*. Τῶτων γὰρ οἱ μὲν ἑυπλαστοί, οἱ δὲ ἐξεταστικοί εἰσι i. e. quapropter vel versatilis ingenij viri, vel furore perciti Poëtica est. Horum enim alij quidem ad effingendum propensi, alij verò idonei ad inveniendum sunt. Etenim ὑποθέσει *disjunctivâ* à causis possibilibus tantum asserit, *Poëticam, aut versatilis ingenij, aut furore perciti esse*, quorum tamen neutrum definit. imò nec inde certi quid definirî potest, nisi alterutrum removeatur; quæ perpetua disjunctivarum lex est. *Accedit*, præter quòd *ratio* à Philosopho ibi addita, de *propensione salium ad effingendum aut inveniendum*, utriusque disjunctiōnis parti indifferens ipsam tantum disjunctivam

Resp.

αὐτὴν

CAP. I. DE POET. NATURA.

divam generatim & indefinitè infert; etiam esse eam ἀπρόσ-
 δούουσαν, si istos μαγικὰς intelligat *furiosos*, qui nec ἔυωλα-
 σοι nec ἔξεταστικοὶ sunt. ut *Melancholicos* potiùs innuere illic
 Aristotelem, vel hinc verisimile fiat, quia de illis Medici pas-
 sim hæc talia tradunt. quales tamen esse Poëtas, disjunctio
 illa non probat. Confer sis Commentar. meum hîc cap. 1.
 disq. 1. §. 16. & cap. 17. disq. 2 §. 3. Quin neque (γ) ratio-
 ni Platonis acquiescendum, in Apologiâ Socratis censuram
 de Poëtis hanc eidem tribuentis, ὅτι ἔσφία ποιοῖεν, ἀλλὰ
 φύσει πνι, καὶ ἐνθυσιάζοντες, ὡσπερ οἱ θεομάντις, καὶ οἱ
 χρησμοδοί, καὶ γὰρ ἔτι λέγουσι μὲν πολλὰ καὶ καλὰ, ἴσα-
 σι δὲ ἔδεν ὦν λέγουσι. h. e. quòd non sapientiæ vi agant, sed
 naturæ quodā impetu, & divino furoris instinctu afflati, sicut
 vates divini & fatidici. Etenim hi dicunt quidem multa &
 præclara, norunt autem nihil horum quæ dicunt. Namq;
 hic tenendū, *etsi conditiones Ἐκκριβειαν scientiæ* in omnibus,
 de quibus scribit, Poëta non assequitur nec appetit; jure ta-
 men non argui, aut de illis *nihil scire, aut instinctu divi-
 ni furoris* afflatum dicere. Nam persæpe vel *popularis co-
 gnoscendi modus* Poëtæ sufficit, modò rem, quàm suscepit
 dicendam, doctè appositéque imitatur. Sed nec *Φράσις* &
ὄνομαθεσίαι demonstrationum evidentiâ, verùm occasione re-
 rum nascuntur; idque à *vi ἔ impetu ingenij, dictionisque*
facultate, non à *furore*. Unde inquit Horatius, in Arte
 vers. 311. *Verbaque provisam rem non invita sequentur.* quo-
 modo, & quâ *causam*, & quâ *qualitatem rei*, error Plato-
 nis est manifestus.

Obj.

Resp.

5. Denique (δ) *serie longâ absurdorum* nititur Platonis
 disputatio in Ione & Phædro: *Poëticam ipsam, ejusq; inter-
 pretanda vim ἔ facultatem*, non *Artis* alicujus principio &
industriâ constare, cum nec *in certo subjecto versetur, nec*
de singulis universim agat, nec certo judicio de illis statuat
 (ceu ex Ionis Rhapsodi verbis Socrates ibi evincere induci-

Obj.
 Dubia de
 Furore
 afflato,
 necnō de
 Arte, exs-
 ploduntur,

tur) sed impetum quendam esse, siue divinum furorem, quo & Poëta & ipsorum interpretes rapiantur, ut rerum simulacra effingant, earumque naturam imitentur. Et, cum imperiti rerum bonos versus aliquando faciant, ἐνθροιασμὸν proinde, vel ἐνθρον μανίαν & μίμνησιν, Pœticam esse; cujus origo Musa, veluti magnes longam furiosorum restim attrahat, eodemque furore correptos & mentis impotes, Poëtam, interpretem, audientes. Quamquam excusare equidem annititur furorâ Pœtici patronos, Democritum, Platonem aliosque, Franciscus Luisinus Comment. in Artem Horatianam p. m. 59. quod Artem non spreverint, sed ei prætulissent ingenium; simul Democriticos irriferint, qui Artem penitus negligentes, ut solam Naturam sequi viderentur, corporis etiam ornatum & curam insani contemserunt. Verum enimverò, excusationem istam meros fucos prodere, vel cuilibet patet. Nihil enim Ingenio vel Natura cum furore, vel naturali, vel afflato, per se commercij aut à naturâ communionis est; & Plato in Dialogo, qui Io inscribitur, unde ista allegavimus, ita planè & contentè ἐνθροιασμὸν in Pœticæ negotio defendit, ut omnem prorsus Artem, præceptis constitutam, inde excludat. Quomodo neque Cicero, qui in de Orat. l. 2. Democriti & Platonis probat & interpretatur errores, nobis officiet, ubi inquit: *Sepe audi- vi, Pœtam bonum neminem, id quod à Democrito & Platone in scriptis relictum esse dicunt, sine inflammatione animo- rum existere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris.*

S. I. Platonem hic quod attinet; Primò accipit ille promiscuè, Pœticam & Rhapsodiam, inter quæ tamen longè maximum est discrimen; &, quæ de Rhapsodicâ seu Pœtas interpretandi industriâ feruntur, ad Pœticam refert. Erant autem Rhapsodi (qui & ῥαψῳδοὶ, quòd virgas ferrent, artis suæ insignia) heroicorum aliorumque carminum recitatores, & interpretes. maximè a. Homeri Carmina expon- bant, unde & Ὀμηρίδας seu Homeridæ dicti. Confer Sca- liger.

Resp.

Rhapsodia quid sit, & unde dicatur.

liger. lib. 1. Pœt. c. 41. & Serranum Annot. in Dial. Ionis. Refert Plato in Hipparcho, Pisistrati filium natu maximum Hipparchum, cœgisse Rhapsodos, ut festis Panathænis carmina alternis recitarent, & alius alium ordine exciperet; quod institutum Pisistrato patri tribuit Ælianus lib. 13. non immemor (ut tn. vult Scaliger l. cit.) eorum, quæ de Hipparcho filio scripsit lib. 8. ibidem. Sicut proinde Fabio Quintiliano Instit. Oratoriar. lib. 1. c. 4. *Grammatica partes sunt, Methodice & Exegetice*; quarum posterior hæc à Gerardo Vossio ad Lexicarejicitur, *Criticamq; seu Philologiam* constituens omnium scriptorum enarratione continetur, sub quâ est *Rhapsodica* Pœtas exponens, officij nomen atq; operæ, quæ quidem ad *Grammaticos, non Pœtas*, spectat: ita perperam *scriptori Pœta* rei substratæ ignorantia adscribitur, quæ sæpius fortè est in *Rhapsodo, recitatore Carminis & interprete*. Nec, quia omni ex parte rem non norunt, aut Pœta, aut Rhapsodus, ideo *ex sua artis prescripto*, vel Pœta non imitari, vel Rhapsodus interpretari non poterit, nisi *ῥησοισμῶ & μανίᾳ* afflentur. Appositè Scaliger Poëticor. l. 1. c. 1. *Minus bene, inquit, Plato negabat in Ione, Rhapsodum non posse rectè dere militari, aut naviculariâ differere: propterea quòd artes hæc sint ab eo separate. Nihil enim pejus de his ille disputabit, quàm de iisdem conscripserit Pœta. Nam si, ut ibidem optimè scribit, rerum est pœta imitator, Rhapsodus a. auctor imitationis: quâ ratione ille effinxerit, eodem modo hic poterit exprimere.*

§. II. Deinde, in Pœsi omni occurrunt, *Res de quâ dicitur, & Dicendi modus*; atque, ut *Pœmata generibus* variant, pariter in iisdem *Stylus seu Dicendi modus* differt. *Res* etiam, utcunque *aliquando* apud *diversos Pœtas* sunt *eadem*, sæpe numero tamen toto inter se celo apud complures distant; sicut nec *dicendi genio, in re eadem, Pœtae diversi* semper inter se conveniunt. Quare, etsi *Rhapsodus* aliquis, aut etiam *Pœta, Dictionem & Res unius Pœtæ, quas edidit, aut*

Ille Pœtas
sios pars
non est,

Non esse
Pœtas,
vel artis
fices ali-
os, sæpe
in quâlis

Stylum

bet parte
suz artis
perfecto
gnaros.

Stylum ejus Poëmatum generis, cui assuevit, magis assequitur, quàm alterius, cui assuefactus non est; non propterea tamen ἐν θροισαομῷ cujusdam furore atq; impetu, vel Rhapsodus, vel Poëta, & non instituto Artis, agent. Namque *Artis* quidem est, de certis rebus sibi subjectis univèrsim agere, easq; singulas complecti, & de illis generali certoque valere iudicio; nihilo seciùs, cum hæc in partibus *Artis*, alijs atque alijs, varient, fieri omnino nequit, quin etiam in eadem arte, aliquis quàm unam partem sæpe sit peritior, quàm in cæteris. Quod non modò in *Poëtice*, sed & artibus quibusvis verissimum, mirum est Platonem voluisse eludere. Hinc enim & illud est, quòd in certo Poëtis genere nonnulli aliquando bonos versus faciant, reliquorum imperiti, quibus nec assueverant. qualem Tynnichum illum Chalcidensem, hinc Platoni memoratum, censebimus, *Pæanem* Apollini pulcherrimum scribentem, cum nullum aliud Carmen, dignum memoriâ, unquam composuerit; nec alium Horatium, qui digito prætereuntium Romanæ fidicen lyræ monstratus, ab *Poësin Lyricam*, in *Epicâ* tamen minùs valuit. Idem de alijs compluribus iudicium erit; ut dicere temerarium sit, Poëtas illos, infanos & in ἐν θεῶν μανίαν à Deo aliquo seu ἐκστασι raptos, Deo autore per θεοπνευσίαν sine omni artis præsidio Carmina fundere. Quàm censurâ corrigendus quoque Scaliger, qui hæc de θεοπνευσία Poëtarum ex Platone transcribit, Poët. l. 1. c. 2. Nullam enim θεοπνευσίαν peculiarem & veram, nisi in oracula Dei immediatè inspiratis, agnoscere fas est.

S. III. Præterea, *Musa*, Platoni πᾶσι τὸ μαιώδης seu ab *inveniendò* dicta, alijs ἀπὸ τῆς μύεσθαι h. e. claudendo, quo *iudicium* designatur, ut refert & explicat Scaliger Poët. l. 1. c. 2. Sed longè rectiùs & convenientiùs ab Hebræo, vel *Musar* seu *Mosar* deducitur, *Eruditionem* & *Castigationem* notans, vel etiam à *Masar*, *Traditionem* designans, unde & *Masora* est. Neque enim ab etymo Græco, derivatur, nisi

Musæ
unde dicitur
eantur,
& quid
sint?

nisi allusionem velis. Et quia *Musa* à veteribus Jovis & Mnemosynes i.e. *Dei & Memoria* filix dicuntur, aliud utique earum nomine, quàm *Divina Ingenij vis & solertia, omnibusq; numeris absoluta Artis industria*, teneri nequit. Vide sis meum Commentar. Cap. i. l. alleg. Confer Natal. Comit. Mythol. l. 7. c. 15. Geofred. Linocer. Mythol. Musar. c. 1. Quibus idè conficitur, *Musas* non esse Deas in ἐνθουσιασμὸν impellentes, aut μανία seu furore afflantes, & ob id Poëtæ invocandas, ut delirat, cum Platone alijsque Ethnicis, Scaliger; verùm, si de re Poëtica sermo est, *Divinam Ingenij vim & inflammationem*, Artis absolutæ conjunctam industriæ, quam Poëtis per προσωποποιίαν alloqui solenne est (invocare enim, Christiano nefas) hoc nomine intelligi. Porro, τὸ ψυχαγωγὸν seu ἐπιγωγὸν Poëσιος, quo pacto *res imitatur Orationis percellentibus ἐιδωλοποιίαις*, absentia quasi præsentia sistendo, variosq; earū casus ex verisimili aut necessariâ coherentiâ inducèdo, & in animos nostros, ornatu allectos, ἡθουποιία raptos, in mediâsque res earum εἰκασία adductos, *iucundâ modulatione insinuando* atque instillando; vi equidem *Magneticâ* movet Poëtam, interpretem, audientes, eosdemque corripit & attrahit. quam ψυχαγωγίας vim Aristoteles Poët. c. 6. etiam ex Fabulæ seu argumenti constructione esse ait. Verùm inde nihilò rectiùs evincitur, *furoris συμπαθεία*, per longam insanorum seriem sive restim, instar annulorum catenæ ferreæ magnetis vi coherentium, *Poëticam afficere Poetas ipsos, eorumque interpretes & auditores*, adeoque οἰστροπλάγος πάθος *hominum furiosorum esse*, non sanâ mente & ex arte loquentium, sed *corruptorum percitorumque vertigine quâdâ divini furoris* (quæ Platonis opinio fuit) quàm si quis *Musiam* non esse artem, & *saltatores* modulatione & numeris delectatos, ob id ἐνθουσιασμῶ & furore corruptos, nec arte uti, per eandem ψυχαγωγίαν inferre ausis.

Poëσιος
ψυχα-
γωγὸν.

Poëtice
præcep-
tionibus
Artis
contine-
tur,

6. *Præceptis* autem *Poëticæ* contineri, ab alijsque artibus distingui, etiam *Poëtas artis constringi regulis*, vel planè patet. Etenim *primò*, quemadmodum *Ars* omnis certarum quarundam rerum *subjecto* definita est, eoque ab artibus alijs differt, nec vagos & incertos fines habet; Nec aliter *Poëtica*, *Imitationibus oratione effingendis in re quâlibet*, & definitur, & ab artibus cæteris distinguitur, eoque sine propiore ac certissimo, ulteriorem illum in eventu positum, nempe *perculsionem animorum*, semper & unicè intendit. *Deinde*, *Ars rerum est univrsarum*, ita ut singulas sibi *subjectas* suæ *considerationis* ambitu complectatur. Pariter *Poëtica*; *etsi Materiam, in quam operetur*, definiti generis non habet, utpote in *omnia intelligibilia* se effundens; quicquid tñ. ex immensa illâ rerum vastitate assumit elaborandum docendumque, semper peculiari sibi que propriâ viâ incedit, scilicet *oratione effingendo illius imitationem*, & in quolibet *Poëmatum* genere ex omnibus ejusdem exemplis, instruendo præceptionibus communem ideam, singulas secundum eam dijudicans *Etiâ*, omnis *Ars suis principijs*, non aliunde petitis, innititur, & in *suas res generali quodam iudicio valet*. *Logicus enim ex intelligibilium affinitate*, secundum arguendi evidentiam, modos & instrumenta differendi adhibet in *rerum cognitionibus*, ex eâdemque dubia quævis examinat. *Orator in persuasionibus, ex appetibilium reffitudine* excogitatis rationibus, *fidem* facit, aliorum quoque imposturas inde deprehendens. *Itidem Medicus*, & quicumque artifex alius, semper principijs domesticis innititur, unde certo de rebus suæ artis iudicio statuit. Quapropter sanè *Poëtica artis præceptionibus continebitur*, ut quæ secundum *credibiles*, imò & *certain*, intelligibilium *competentias*, imitationes rerum oratione effingit, deque ejusmodi omnibus fert iudicium. Confer sis *Platonem* in *Ion*e, exemplis pluribus rationes hæc instruentem; etsi ibidem ignorato *ἔλεγχος*, *Poëticam* illis impugnat, artium eam numero excludens. *Accedit denique*, quòd *Reges ac Imperatores*

ratores, etiam Principes quicunque Academiarum fundatores, Poëticam cætenus artem seu disciplinam agnoverint, ut certam professionem, inter Philosophicas cæteras, eidem assignarent. ut Maximilianum Cæsarem taceam, qui hujus artis Quintam Facultatem, nempe Collegium Poëticum in Academia Viennensi, constituit, certisque privilegijs, de promovendi licentiâ & honore Laurea Poëtica, impertivit; unde adhuc Poëta Cæsarei dicti. Adis, præter alios, M. Quintilianum Inst. Orat. Lib. 2. c. 17. in hæc causâ de Rhetoricâ disputantem, atque pro Poëticâ indidem rationes plures, in pari negotio, accersit. Sed de his satis; Poëticaς ὀνομασλογία excipit.

7. Poëticae nomen Græci sapientes ubi commodissimè *ὡδα τὸ ποιῆν* effinxissent, miratur Scaliger Poet. Lib. 1. c. 1. maiores Romanorum sibi tam iniquos fuisse, ut Factoris vocem, que illam exprimeret, maluerint oleariorum cancellis circumseribere. Nam que omnium opifex condidit, eorum relique scientie tanquam actores sunt: Poëtica verò, quum & speciosius, que sunt, & que non sunt, eorum speciem ponit, videtur sanè res ipsas, non ut aliæ, quasi histrio, narrare, sed vellet alter Deus condere; unde cum eo commune nomen ipsi, non à consensu hominum, sed à natura providentiâ inditum videatur. Quare, cum vocem *ποιῆν* facere & fingere interpretentur; Poëta nobis factor & fictor, sive Imitator, & Poëtica ars faciendi & fingendi, sive Imitandi, exponetur. Hinc ex Pontano Buchlerus Instit. Poët. c. 2. Poëta, cum non tantummodo rerum exstantium formas & simulacra, elegantissimè imitando consequatur & exprimat; sed insuper non exstantium, que en. exstare possent, & ita possent (quod quidem magis ipse est officium) novas & mirificas omnino species ac similitudines, præclaro quodam modo progignat, & tanquam è nihilo res fingendo producat: utramque illam significationem τῆ ποιῆν, fingere & facere scilicet, per aequè ἀντωνομαστικῶς,

Vocabus
li Poëti-
ces ratio,

Dubiū. Poëticæ sibiq; propriam fecit. Quamquam Scaliger lib. alleg. c. 2. à faciendō versu, non à fingendō, quia fictis uteretur, initio ductum Poëta nomen contendit. quod tñ. de usurpatione vocis populari, non eruditâ & accuratiore, verum esse existimamus; ceu omnes aliàs versificatores, vulgus Poëtas appellare suevit. Insuper sciendum, præter generalem & laxiorem vocabuli Poëtica significationem, ex definitione Artis Aristotelicâ l. 6. Eth. c. 4. desumptam, quâ Artes omnes operis alicujus effectrices *μηχανή* dicuntur, *Philosophia* etiam ipsa ab auctoribus haud vulgaribus, in *θεωρητικήν*, *πρακτικήν*, *ποιητικήν*, h. e. Contemplativam, Activam, Factivam, divisa est: *Speciatim* acceptam Poëticen, cujus vis in rerum effigendis oratione imitationibus sita est, ab *hujus muneris usu* dici, *εὐκατικήν* aliam, aliam *φανταστικήν*. Varia en. & multiplex est *μίμησις* Poëticæ, scilicet *Vera & Falsa*: quibus in formis discriminandis, *princeps* ille & primarius finis, *Docere delectando*, locum habet maximè. *Εὐκατικήν* seu *vera*, imagines rebus & rationi consentaneas efformat ac repræsentat, quæ in *laudabili* versentur *materia*, & *finem* habeant *optimum* sibi propositum, *Docendo honestè delectare*. *Φανταστικήν* autem seu *Falsa*, imaginum effigione ludens, vel *dissentaneo quodam modo*, vel *res turpes atq; inhonestas* effingit, in hunc finem, ut *delectet*, vel certè *res falsas & vitiosas suis illecebris importet in hominum animos*. Sic enim placet bonam & laudabilem poëticam à vitiosâ & consermendâ secernere, ex ipso *Fine*, & *Subjecto*, inquit Serranus præfat. in Platonis Ionem iam antè allegatum. *Hæc* igitur repudianda: *illa* ingenuorum hominum studio minimè est indigna, nec abhorret à bonis moribus, imò aliquando maximam vim ad virtutem & honestatem habens. Terentio Comico *Ars Musica*, prologis Phormionis & Hecyræ, etiam *Studium Musicum*, prologo Heautontimorumeni, audit; non ita à cantu, nec modò quòd ejusdem cultores sint addicti *Musis*, sed quia studiorum in illis commendat elegantiam,

Etiam æ
quipollē
tia.

explicante Kockerto in Indice Terentiano. Vulgò etiam *Pœsis* dicitur; quæ vox tñ. aliàs ipsam *conscientis actionem seu Fictionem* notat, aliquando pro *Poëmate* seu opere facto promiscuè usurpata. Epitheta & Encomia passim apud Poëtas prostant.

8. *Nominis* explicationi expositio *natura Poëtices, in paribus Definitionis*, iam adjungenda erit. Et quidem, ex quo *Habituum genere domestico Poëtica* censi debeat, quodque sit illius *Genus proximum*, si quærat; haud rectius responderi posse arbitramur, quàm sensu Aristotelico *Artem* appellando, idque præcipuè intuitu *operis*, quod effectrix illa post *effictionem imitationis* relinquit. Rationibus idem pluribus pertacilè est evincere. Veluti primò, *Habitus, operis gratiâ*, cujus principium non in ipso, sed extra sit, vel faciens, vel elaborans materiam, est omnino *Ars*, 2. phys. c. 1. & 2. Quo etiam jure *Poëtica*, si quæ alia, è censu Artium erit, ut quæ *Poëmatis* ceu operis causâ, præter ejus *materiam ex quâ seu constituentem*, nempe *Orationes imitationem rerum effingentes*, etiam non rarò *materiam circa quam siue tractationis*, h. e. argumentum & thema ipsum, non elaborat modò, sed & facit. quomodo eundem in finem Arist. Poët. c. 6. constructionem Fabularum docet. Deinde, *Poëtica*, præter ipsum ejus officium, quod est *Oratione imitationes rerum effingere*, finis est *Poëma*, scilicet opus expressum ad ideam, quam habitus iste continet. Atqui *Habitus practicos hujusmodi propriè esse Artes*, Aristoteles 1. Magn. Moral. c. 35. ait. Denique (ut alia præteream) Si *Rhetorica* inter *ἄνθρωπινὰς* siue *Artes* est, quia *effectivè aliquid simile scriptis orationibus vel historijs* (quod ipsum opus in parte oratoriâ meritò ponimus) *consequitur*, ajente Fabio Inst. Orat. Lib 2 c. 18 & 21. sane *Poëtica* vel maximè *Ars* erit, effectivè *Poëma*, quod ipsius opus, producat. Cætera, quæ huc conducì attinet, vide pleraque in *Dissertatione meâ de Arte* c. 2 §. 2. & 3. ubi potissimâ quoq; *objectiones contrariæ solvuntur.*

Poëtica
Genus
Ars est.

Differen-
tia Poëti-
ces non
à Materia
petenda

Nempe
quam
Personæ
earumque
Actiones
omnina
non ab-
solvent,

9. Ut verò appareat *Poëtica* ab artibus alijs *differentia*, quodque illa habeat proprium, duo sciendum est oportere attendi; *alterum est Materia*, quam Poëta imitando pertractant, *alterum est Imitandi modus*. Et si autem hic *Materiam, publicam omnem & communem* dixit in *Arte* passim Horatius, ut, quod Poëta proprium habet ab alijsque differt, inde sumi non possit; alij tamen solas *Personas* earumque *Actiones*, pro communi Poëtica materia agnovère, idque vel *promiscuè*, sive vera, sive ficta illa fuerint, ut Buchlerus ex Pontano Inst. Poët. c. 2. & 4. vel *tantùm Personas & Actiones fictas*, ut Verulamius de Augment. Scientiar. Lib. 2. c. 1. & 13. & hæc etiam sententiã fuisse Socratem, Poëta nomine dignis censentem *Fabulas* tantùm dicendas, non orationes, Plato in Phædone refert. Verùm enim verò, *Materiam Poëtarum à Personis earumque Actionibus solùm* sumi, sive veris, sive fictis, ut nec Poëta sit, qui hæc non imitatur, dici quidem non potest. Namque (1) Sic Bavius & Mevius, dum *Personas* induxissent, earumque repræsentassent *Actiones*, in Poëtarum ponere censu possemus; Quod est *ἄνωρον*. Etiam (2) Virgilius circa *Æneida* & *Bucolica* Poëta esset, circa *Georgica* non esset, cum ibi *Personas* earumque *Actiones* non repræsentat. Sed & Horatius in *Odis* permultis, quia *Personas aut Actiones* sibi non imitatur, Poëtam non ageret. Quod utrumque *παράδοξον*. Si (3) *duæ* in homine partes sunt, tanquam Poëta *finis cui*, scilicet *Intellectus & Voluntas*, utique omnem finem & institutum implevisse Poëta non videbitur, imitatione Personarum & Actionum solâ faciendo prudentiam. *Voluntatem* enim tantùm prudentia perficit, sed *intellectus* quoque rerum naturalium aliarumque cognitione pascendus est, earum perfectiones excellentiasque imitando. Item (4) *Officium* Poëtica generale, *Docere & Delectare*, se extendit ad *omnia*, nec tantummodo ad *Personas* earumque *Actiones*. Quippe *Historiarum* copias, locorum descriptiones, regionum naturas, vitæ instituta Poëta tradunt; etiam de Imperatore,

tore, de Milite, de patrefamilias, de Republica, de legibus, de re rusticâ, de nauticâ, de Artibus, alijsque circa quæ versamur, de sideribus & naturæ rebus, plantisque & animalibus, de Deo, de infernis, de ritu & antiquitate, atque ut summam dicam, de omnibus doctrinam faciunt, unde quilibet peritissimus fieri possit. quocirca & Homerus totam Græciam erudivisse dicitur. Confer de his B. Fornelium Poët. Lib. 1. c. 5. & 7. Quinimo (5) *Poëtica finis Internus seu officium speciale, veluti Imitationes Oratione effingere, in omni Intellegibili in univsum, nec duntaxat circa Personas earumque Actiones, se obtineri expediri que sinit. Namque ut, prater Personas earumque Actiones, ad cetera etiam Ars Pictoria se porrigit; pariter & Poëtica se habet, dicente Flacco in Arte vers 9. Pictoribus atque Poëtis quidlibet audendi semper fuit aqua potestas. Et vers. 361. ibidem: Ut pictura Poësis erit. Quanquam enim Aristoteles Poët. c. 6. περὶ ἄλλων ἢ ἐ. Actionis esse μιμητικὴν seu imitationem ait; non tamen Poësis objectū univsum ibidem definit, sed tantum Dramatica & Mixta, speciatim verò Tragica, nec Materiam Poëtarum adaquatam, sed præcipuis frequentius excultam, indigitat. In Actionibus siquidem effingendis, & ad usum atque commodum vite exprimendis, Poëta cura, labor, industria se præcipuè intendit, Buchlerus Inst. Poët. c. 4. Sicut proinde inter Methodos docendi regnat Poëtice, & divinitate quædam dominatur, ita Res quasvis, quarum effingi oratione imitationes ineprum non est, aut infrugiferum, jurisdictioni suæ obnoxias habet. Unde Cicero 1. de Orat. eandem propè h. e. æquè amplam atque vagam, tam longè latèque diffusam, Poëta quàm Oratori, Materiam subjecit. Est enim, inquit, finitimus Oratori Poëta, numeris adstrictior paulò, verborum autem licentiâ liberior, multis ornandi generibus socius ac penè par: In hoc quidem certè propè idem, nullis ut terminis circumscribat aut desinat jus suum, quò minus ei liceat, eandem illâ facultate & copiâ vagari, quâ velis. Et sanè nihil*

Dubium

Solutio,

Res in univsum omnes continet

pro.

propemodum, seu supra lunæ orbem & æternum, seu infra, utpote fluxum caducumque, adstricto Poëtarum dicendi genere non comprehensum & explicatum videmus. Quomodo Giessenfib. Poëtic. Lib. 1. c. 1. *Poëtica facultas quadam generalis est, nulli certa materia alligata*, sed per omniū omnino scientiarum artiumque latifundia diffusa. Imò, non modò *Philosophica & naturâ nota*, verùm *Theologica* quoque & *revelata*, Poëtici plestri inculcata suavitate, tam sacra, Biblica & Ecclesiastica, quàm profana Poëmata omnifaria, affatim loquuntur. Haud proindè malè Masenius Palæstr. Eloquent. Ligat. part. 1. Lib. 1. c. 2. tam *Divina, quàm Humana*, & in his tam *Naturæ & Artis opera, quàm Actiones hominum*, quibus formandis potissimùm hæc facultas deservit, universim in *Materiam Poëticas* admittit, h. e. *Rem quamlibet* (ut ibidem explicat) quæ *finem Poëticas*, scilicet *Honestè prodesse simul ac delectare*, non destruat. Vide hæc aliquammultis differentem Fornelium, Poët. L. 1. c. 26. & seqq. Hinc patet (α) *Nec infinitum genus* hoc esse subjectum, etiam ut sit *multiplex*, cum alij quoq; minores artifices multiplicem habeant *materiã*, ad *communè tractandi modū idoneam*. Sic Architecti, Cælatores, alijq; in omnibus, quibus modum artis suæ inducere ipso opere possunt, versantur. *Oratorem* fatemur *omni de re*, quæcunq; sit proposita, *dicere posse ornate & copiosè ad persuadendum*: quidni ergo *Poeta* dabitur, propriâ facultate, in *hominum vitâ & naturâ rerum quæcunq; offingere*? *Iurisditio itaq; Poëticas* constabit, non tantùm ex *Logicis, Rhetoricis & Grammaticis*, sed etiam ex *Physicis, Ethicis, Mathematicis, Historicis, Geographicis*, imò & *divinis*; ut in universum sibi vindicet, *quæcunq; tractata nitescere possunt*. Neque (β) *Res turpes*, cum *honesti finis gratiâ* repræsentantur, excludi omnino consentaneum erit. *Literæ* profectò *Sacræ* multorum, etiam sanctorum, turpitudines & scelera, ob eandem causam, non dissimulant. Videtis Leonhardum Aretinum de Studijs & Literis ad D. Isabellam Malatestam.

In

Juvenem politioris Literatura Morumq; elegancia,
DN. MAGNUM J. FIORINUM, Wexioniâ-Smoland.
Amicum & Patriotam summè dilectum,

HENDECASYLLABUM.

Mulsarum lepidos obire campos,
Pratorum Clariis simul viretis
Iucundè patulos, & ex corollis
Florum Deliacis satis celebres,
Qui temnit; pariter sacros Poëtas
Fastidit, fugiens amœnitates,
Et tortis oculis superbiendo,
Doctrinam sapientiamque dîam
Fastu barbarico nec æstimabit.
Germani his stolidis, luem malignam,
Unà qui reliquis item propagant,
Vel solo genio benignioris
Naturæ reputant bonos Poëtas,
Artem nec statuunt sacram Poësin;
Nec paucis aliis furore cæco,
Quos insania fortè bilis aræ
Instiget, rapido aut subinde pellat
Asslatu superûm Deûm potestas,
Quid scribant simul omne nescientes.
Hæc fatens, FIORINE, lerna falsi
Docto desipit & tuo palato,
Et cunctis quoque corculis politis,
Quêis summi Jovis aura corda finxit:
Ac doctis numerabitur molestus
Prædurusque labor tuus, vel inter
Abletarum Heliconis in palæstrâ.
Tî Numen, voveo, favere pergat!

Scriptis animo gratulabundo

P R Æ S E S.

Pereximie Dn. RESPONDENS, patriota perdilecte!

Pignus amicitiae quid sit, FIORINE colende
Sympatriota, satis certò declarat ubique
Noster amor, nostri nec non Conjunctio firma
Cordis, nos inter fuerat qua tempore longo.
Deblaterent alijs scripto vel voce sonora
Quid sit amicitiae vis, signum, Candor & omnis:
Ast egomet dico; quid distent ara lupinis
Omnibus haud notum est; nam fallit Nomen amici
Fucati saepe infido sub Nomine veri.
Gratulor ergo tibi sincerè, singula & opto,
In Domini laudem tua quò Conamina cedant!
Perge bonis avibus: Cæptis Deus annuat auras!

PETRUS Hahn.

Agricolæ usque manu sterilis divellitur herba,
Vinitor arentes velutique abscindere ramos
Appetit, ut faciant foecundo germine vites
Uvas viniferas: Sic tu, dulcissime frater,
Musarum & Phœbi prælargo munere felix,
Atque decus sophiæ, FIORINE, sophismata solvis.
Indicat hoc pietas semperque modestia grandis,
Artibus ut sophicis dicaris nomine MAGNUS.
Maeste hinc: omnigenos ferat à te ecclesia fructus!

THEODORUS Lönberg. W. Smol.

Quid teneris annis juvet impalescere mustis;
Quid valeat pietas probitasque exercita in omni
Vita, declarat tua disceptio presens,
Quam studio vigili vulgas, arcesq; sophistas.
Quid, FIORINE, tibi voveam doctissime frater!
Illud ego volui presente precarier hora:
Vive Deo, sospes patriæ, in Nestoris annos;
Teq; Deus tandem meliori in sede reponat!

In arrham amoris amicissimo dedit

P. LACONIUS.